


# DE MANDATO

## M. JOSEPHI PHILIP,

## *FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS*

## DECANI,



ET MM. DOCTORUM REGENTIUM EJUSDEM FACULTATIS.

*Ob SERENISSIMI DELPHINI Natalia.*




OLIUM LUDOVICUS DECIMUS-SEXTUS conſcenderat, conjux felix, tàm amans, quàm amore dignus, ſed nondùm Pater; & dùm à ſingulis Civibus dulciſſimâ appellatione meruit vocari

Pater Patriæ, deerat tamen qui ipſum, proprio nomine, Patrem ſalutaret. Flagrantibus votis, ſollicitâ prece, vim Cœlo intulit Gallia. Dictum eſt à Divo Auguſtino : *Aſcendunt deſideria, deſcendunt miracula.* Primum miraculum Puellam dedit, in cujus ortu, tàm ardentèr, quàm diù expectato, geſtire eò opportunius fuit, quòd Naturæ tarditas, jàm calumniis laceſſita, injiciebat quamdam diffidentiam furtivo lapſu animis irrepentem. Amor fecerat ſollicitudinem, quæ ſempèr magnæ expectationis comes eſt, & certè hanc excuſabat. Ex iſto puellari proventu felix augurium ducere & ævo ſpes dulciores adhuc jaculari licuit. Denuò *aſcendunt deſideria, deſcendunt miracula.* Non nent Lilia. Terris oſtenſus eſt DELPHINUS. Salve, ô nobilis Liliorum Surcule! Vive diù, vive lætus, ac incolumis. Tibi dormienti adſpiret blanda quies, vigilanti adſpirent riſus venuſti, luſus amabiles. Jàm riſu Matrem adorandam cognoſce; jam blandâ manu, eburneum Matris collum preme mollitèr; jàm roſeis labris caſta fige oſcula, tot blanditiæ, tot materno pectori voluptatis fontes; & quandò tibi erit ætas firmior, diſce ex amore noſtro Patrem, ex reverentiâ Regem colere.

Votum Patriæ ſacrum addimus, non minùs amans quàm amabilis, ut primùm amari te ſenſeris, redamare ſcias: Solio naſceris, ſed diù ignora quàm grande ſit pondus & Sceptrum & Corona. Iſtas regendi Populos, & præſertim amandi artes combibe intimiùs, totis te proluens fontibus ex quibus ortus es. Dùm gratulabundo cultu, cunas floribus conſpergunt varii Civium Ordines, cruore madens Laurus non tenera offendat lumina; arrideat tibi, tanquàm molle pulvinar, Olea pacalis cujus prænuntium quaſi Numen in te amamus ac veneramur.

Cum multa bona toti Imperio afferat, cùm multa & alia ſpondeat SERENISSIMI DELPHINI Ortus, nefas foret unicum, inexhauſtumque bonorum omnium fontem non agnoſcere. Quaproptèr Hymnis & Canticis exultantes, quas DEO OPTIMO MAXIMO ſolemnes Preces jàm fudimus unà cum cæteris Academiæ noſtræ Ordinibus, peculiaritèr renovare decet, ut Summo Numini pro fauſtiſſimo eventu gratiæ inceſſabili voce agantur immortales. Idcircò Facultas Medica Pariſienſis, in Scholarum ſuarum Sacello, ſolemne Sacrum celebrari decrevit, à quo Hymnus Euchariſticus *Te Deum* cantabitur, die Sabbati decimâ menſis Novembris, anni

ſupra milleſimum ſeptingenteſimi octogeſimi primi, horâ ipsâ decimâ matutinâ.

Datum Pariſiis, die Lunæ quintâ ejuſdem menſis & anni.

*Josephus PHILIP, Decanus.*




Typis Quillau, Typographi Facultatis Medicæ, viâ dictâ du Fouarre.